

COLLEGIJ ADIAPHORISTICI

Calvinianis oppositi

DISPUTATIO SECUNDA,

De

ISTINCTIONE
DECALOGI.

Quam

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

In inclytâ Wittebergenſium Academia

Sub præſidio

Reverendi & Clariſſimi Viri

BALTHASARIS MEISNERI S. S.

Theologiæ Doctoris & Profeſſoris publici

Discutiendam exhibet

M. ERICUS HOLSTENIVS MON-
TANUS SVECUS.

Die 9. Martij & horis conſuetis.

WITTEBERGÆ

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XX.

133, 1664.



2

COPIE OF THE ORIGINAL
PRINTING
BY
ALFRED
MAYER
DRESDEN
1880

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Σὺν Θεῷ

Collegii Adiaphoristici

DISPUTATIO II.

DE DISTINCTIONE DE- CALOGI.

Thesis I.



Uperiori disputatione de Adiaphoris in genere ac de Libertate Christianâ differuimus.

II. Sequitur nunc ut de iis in specie agamus, cum *Ratio im-*mitantes ordinem quem in sua Catechesi observavit *thodi.*
B. Lutherus.

III. In qua cum primò agatur de Decalogo, etiam nos de ejus *Propositio* *Distinctione* vel potius *Subdistinctione* acturi hæc *quatuor* præcipuè *hujus dispu-* *tationis* pertractabimus.

IV. 1. *Recensebimus* diversas opiniones de subdistinctione De- *quadrime-* *bris est.* calogi, Et quid Scriptores potissimum commoverit, ut in tam di- *versas & prorsus inter se discrepantes abirent sententias.*

V. 2. *Formabimus statum* Controversiæ, quem Calvinianorum placitis directè opponemus, *An*, videlicet, Mandatum de non ha- bendis diis alienis, & de imaginibus ac sculptilibus non facien- dis aut colendis duo distincta præcepta constituat? Deinde, *An* duplex damnatio concupiscentiæ constituat duo postrema præ- cepta vel secus?

VI. 3. *Confirmabimus* nostram sententiam.

VII 4. *Respondebimus* ad argumenta adversariorum, quibus nostram conantur evertere.

A 2

Quod

Quod ut feliciter succedat, auxilium Dei Optimi Maximi devoti supplices precamur.

VIII. Distinctionem Decalogi non esse nuper inventam, sed ante multa secula usitatam, testantur antiquissimorum Patrum scripta.

IX. Controvertitur autem inter doctos, non de numero præceptorum (istum enim decem tantum, nec pluribus nec paucioribus comprehendi præceptis, extra omnem disputationis aleam est positum) neq; de numero tabularum, nam illas fuisse tantum duas, nemo est, qui neget.

Status controversiæ primarius.

X. Sed quæ & quot præcepta in utraq; tabula manu DEI consignata fuerint, de eo variant & veterum & recentiorum sententiæ.

Causa diversarum opinionum.

XI. Ansam illis præbuit hoc, siquidem plures quam decem tales occurrerent sententiæ imperativæ, dubitare cœperunt, quænam illarum cohærerent, & quæ non cohærerent, quæ contrahendæ & quæ distrahendæ essent, ut præcisè denarius numerus compleretur.

XII. Hic ingens opinionum se ingessit divortium, inque diversas itum est sententias.

Recensentur 5. opiniones circa distinctionem præceptorum Decalogi.

XIII. Quinq; autem præcipuas circa assignationem denarij numeri in Decalogo, seu de subdistinctione primæ & secundæ tabulæ invenio opiniones. Omnes tamen in eo convenientes, ut numerum denarium nec augeant nec diminuunt.

1. Est Iosephi.

XIV. Quarum prima est Iosephi, qui lib. 3. cap. 4. antiquit. Judaicarum ita distinguit Decalogi tabulas, ut singulis quina tribuat. Sic enim ille: Docet nos primum præceptum, Deum esse unum, & hunc solum adorandum. Secundum, nullius animalis simulacrum colendum. Tertium, non temerè jurandum. Quartum, Septimi diei ferias nullo opere profanandas. Quintum, parentes honorandos. Sextum, à cæde abstinendum. Septimum, non adulterandum. Octavum, non committendum furtum. Nonum, non deponendum falsum testimonium. Decimum, nihil alienum concupiscendum. Hæc Iosephus.

XV. Neque diversum ab hac opinione statuit Irenæus, cum lib. 2. c. 42. hæc scribit verba Vnaquæq; tabula, quam Moyses accepit à Deo, præcepta habebat quinq; & c.

2. Hesychij.

XVI. Altera est Hesychij, quæ ab Alexand. ab Ales in sum. 3. part. quæst.

quæst. 29. art. 4. Et à *Thoma de Aquino* pri. secundæ quæst. 100, art 4. tangitur. Ille autem Decalogum sic recitat, ut neget præceptum de observatione Sabbati esse ex numero Decalogi, numerum vero complet constituendo præfationem Decalogi, primum præceptum, &c.

XVII. Tertia est *Athanasii* lib. 2. *Syno Scriptu.* *Cyrilli* lib. 5. contra *Julianum*, & *Philonis* lib. antiq. bibl. f. 12. quæ itidem præfationem Decalogi *Ego sum Dominus, Deus tuus*, primum præceptum agnoscit: illud autem de observando Sabbato non expungit, sicut *Hesychius*.

3. *Athanasii & aliorum nonnullorum patrum.*

XVIII. Hanc veterum sententiam tenent hodiè ex *Calvinianis* *Petrus Martyr & Georgius Sohnius*, ille class. 2. loc. com. cap. 17. sic scribit: Ergo utrumque puto ad idem pertinere præceptum, quod non sint habendi dii alieni, & quod non sit faciendum sculptile. Primum autem mandatum esse arbitror, quod quasi proæmij loco cæteris proponit: Ego sum Dominus Deus tuus; nam his verbis sancitur, ut illum pro vero Deo habeamus ne autem eum putaremus cum dijs alijs colendum esse, statim adjunctum est secundum præceptum, quo Deus alienos, & sculptilia & imagines colere prohibemur. Hic in oper. *Thef.* de primo & secundo præcepto fol. 167. idem sentit. Unde patet, non omnibus *Calvinianis*, sicuti nec in reliquis, ita neq; in hac re. eandem esse sententiam.

P. *Martyr non, idem cū reliquis Calvinianis sentit,*

XIX. Quarta opinio est, quæ quatuor quidem primæ tabulæ assignat præcepta, sed primum facit de non habendis diis. Secundum de non faciendis imaginibus. Tertium de non profanando nomine divino. Quartum de Sabbato sacrificando. Secundæ verò sex attribuit.

4. Est *Origēis, Ambrosij &c.* Et *Calvinianorum plerorumq;*

XX. Hanc sequuntur ex patribus *Origines, Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus &c.* ex recentioribus *Calrimani* pleriq; omnes, sicuti videre est lib. 2. inst. *Calv.* c. 8. sect. 12. apud *Vrsinum* in cat. p. 686, *Musculum* in locis p. 43. & cæteros.

XXI. Tandem Quinta est sententia eorum, qui tria præcepta primæ accensent tabulæ, secundæ verò septem, ac mandatum de imaginibus, ut appendicem ad primum præceptum referunt, mandatum verò de non concupiscendo in duo distincta præcepta dividunt.

5. Est nostra quæ & communis, & *Augustiniana* dicitur.

A 3

XXII. Quam

XXII. Quam observarunt *Clemens Alex. Augustinus, Bernhardus, Lyranus, Hugo, & alij non pauci, quorum verba in libris nostratium hac de re editis videri possunt.*

B. Lutherus

XXIII. Hanc pio consilio retinuit *B. Lutherus, & qui Augustanam amplectuntur confessionem, pleriq; omnes.*

XXIV. Omissis autem reliquis opinionibus, tanquam minus controversis, de ea agamus, quæ non ita pridem in Ecclesia, magnas turbas excitavit, in non ferendis & destruendis imaginibus quibuscunque prætextum causæ suæ sumens ex Decalogo; *Non facies tibi sculptile aut imaginem & c.* inde concludens, factas non esse ferendas.

XXV. Proinde contra hanc, & qui eam ut necessariam propugnant, nostram verò ut in eptam & impiam rejiciunt, Statum controversiæ eumq; duplicem ponimus talem.

Duplex controversiæ status ponitur contra Calvinianos.

XXVI. *An necessario primæ tabulæ quatuor assignari debeant præcepta & secundæ sex? Seu, quod idem ferè est: An mandatũ de non habendis diis alienis, & non faciendis ac colendis imaginibus duo distincta constituat præcepta in prima: Mandatum verò de non concupiscenda domo, uxore, servo, bove, agro & c. pro uno tantum haberi debeat in secunda tabula; quod nos utrumque negamus sequentibus rationibus.*

XXVII. Et primò quidem *Quod non quatuor; sed tria tantum sint præcepta primæ tabulæ, & per consequens, Mandatum de non faciendis imaginibus, non speciale constituat præceptum sic probamus.*

Rationes pro nostra distinctione:

XXVIII. *Quicquid homo loco veri Dei fingit & colit illud immediate primo præcepto prohibetur. Imagines & sculptilia ad cultum erecta talia sunt, quæ homo colit. Ergo & c.*

XXIX. Minor patet evidentissimis scripturæ dictis. *Exod. 32. v. 1. postquam dixisset populus Aaroni: Fac nobis Deos, & c. mox subjungitur: Et fecit vitulum; Et dixerunt: Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. v. 4. Et Leviti 9. v. 4. Ne convertatis vos ad idola neq; Deos fictiles faciatis vobis. Deut. 4. v. 28. Servietis Dijs, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidi, qui non vident nec audiunt, nec comedunt nec adorantur, Exod. 20. 5. Cras solennitas Domini est, loquentes de vitulo.*

30. Unde

XXX. Unde sic inferimus, *Quodcumq;* populus Israëliticus & 2. Ratio.
Gentes, per Deos intellexerunt; illud est primo præcepto prohi-
bitum: *sed ille. vitulū fufum, ficut & hæc figna externa, ut ignem,*
Gen. 11. v. 31. aurum & argentum, Exod. 20. 23. Ierem. 8. 19. Rom.
1. v. 23. &c. per Deos intellexerunt, proque diis coluerunt.
Ergo.

XXXI. Et ne excipiant adverfarii, laborare argumentum con- *Instantia.*
fufione diverfarum rerum, typi fcilicet cum ipfa re. Et proinde
quatuor in eo efle terminos, ipfa fcriptura explicat in aliis
locis *fculptilia & imagines, hoc eft, figna externa, pro Diis ipsis ac-*
cipi, Gen. 35. 2. Abjicite Deos alienos, qui in medio veftri funt. v. 4. Et
dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant Exod. 20. v. 23. Non fa-
ciatis Deos argenteos neq; Deos aureos facietis vobis. Cap. 32. v. 1. Et 34. v.
14. 17. Levit. 19. 4. Deut. 4. v. 28. Sap. 15. 8. Jerem. 2. v. 27. 28.

XXXII. Et evidentiùs idem oftenditur. Sab. 13. v. 10. his verbis,
Infelices funt & iinter mortuos fpes illorum eft, qui appellaverunt Deos, o-
pera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem & simili-
tudinem Animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. Sic I. Sam
5. 7. Dagon &c. item Jer. 10. v. 4. 5. 9. 10. 14. 15. Rom. 1. v. 23. &c.

XXXIII. Unde ita argumentamur: *Quicumque* fervit diis alie- 3. Ratio.
nis, is peccat contra primum præceptum; fed qui fervit ligno &
lapidi, fervit diis alienis, Ergo &c. Et per confequens imagines
& fculptilia ad cultum proftantia primo præcepto funt prohi-
bita, nec novum per fe & a priori diverfum conftituunt præce-
ptum.

XXXIV. Idem ftatuit, Magnus ille Theologus *Doct. Chemn-*
in Loc. Comm. de imag. p. 46. Certum autem eft, inquit, Deum ficu-
ti in alijs præceptis: ita etiam in primo, notaffe unam fpeciem Idololatriæ,
quæ ita crassa & manifefta eft, ut etiam a ferioribus Philofophis irrifa fit.
Et fub illa voluit Deus comprehendere interiorem & exteriorem idololatriam
cordis, ut magnitudo illius peccati quafi ob oculos poneretur.

XXXV. Quomodocumque ergo hæc verba de imaginibus
fumantur, five de adoratione tantum, five fabricatione tan- *Conclufio*
tum, five de utraque fimul, non tamen conftituent peculiare *prioris quæ-*
præceptum, fed explicabunt præcedens, ad quod pertinent. *ftionis.*

Cui-

Cuicumque enim tribuitur cultus & gloria soli Deo debita, illud, inquam, est Deus alienus.

2. Probatur
concupiscen-
tiam duo con-
stituire præ-
cepta.

XXXV. Porro, quod concupiscentia bis prohibita, non unum, ut Calviniani volunt, sed duo distincta præcepta constituat, similiter ostendendum est.

XXXVI. Præsupponimus autem duo axiomata seu postulata, quæ in confesso sunt apud omnes rectè sentientes,

XXXVII. 1. Quod ex proprietate & nativa phrasis significatione sumendum sit iudicium de distinctione horum præceptorum.

XXXVIII. 2. Quod per concupiscentiæ prohibitionem, congenita cordis perversio, & prima omnium peccatorum radix intelligatur, quæ dicitur *peccatum Originale*, quod homo carnalis quatenus talis, peccatum esse non novit, Rom. 7. v. 8.

Varia concupiscentiæ
significationes explicantur.

XXXIX. Cæterum de concupiscentiæ prohibitionem dum agimus, non de qualibet nobis est sermo, Nam *alia est bona*: Quæ iterum vel *sancta*, de qua Psal. 118. v. 40. *Concupivi mandata tua*. Item, Luc. 22. v. 15. vel *naturalis*, de qua Luc. 15. v. 16. Et cap 16. v. 21. *Cupiebat saturari micis &c.* Quæ lege Dei non damnantur.

XL. Alia verò Concupiscentia est *Prava*, (Græcis *ἡμιφυσία κακή*) Et hæc vel *Originalis*, Græcis *ουδαβισμός*, Concupiens, de qua Rom. 7. v. 7. I. Johan. 3. v. 4. & 5. v. 17. vel *actualis*, Græcis, *πικρῶς* pariens, Jacob. 1. v. 14. 15, de quibus tantum nobis hoc loco agendum erit. Prima igitur ratio nostræ, de duplici concupiscentia, distinctionis sic habet.

1. Ratio sumitur à differentia concupiscentiæ
Originalis & Actualis, Minor probatur.

XLI. Diversæ Concupiscentiæ species, diversa constituunt præcepta. Sed in nono & decimo nostræ distinctionis, præcepto, diversæ sunt concupiscentiæ species, *Actualis* videlicet, & *Originalis*. Ergo.

2. A propria & genuina phrasis significatione.

XLII. *Minoris* probatio constat, tum ex ipso textu Hebræo, tum ab explicatione Pauli, Rom. 7. v. 7.

XLIII. In textu quidem Deut. 5. v. 21. dividit Moyses Præcepta duobus distinctis vocabulis, diversa significantibus, *Alterum* est velo *Tachmod*, Non concupisces. Germanus sic reddit, *Du solt nicht begehren*/ quod significat (ut loquitur Excellentissimus Dn. D. Bald. in Com. suo in Epist. ad Rom. p. 472.) appetitum

7
tum cum delectatione in rebus jucundis & utilibus cum consensu & opere in rem fervente: Et dicitur Jacobo *Ἐπιθυμία καρδίας σου.*

XLV. Alterum est, velo *Tithavah*, Non desiderabis, hoc est, non facies te desiderare. Germanus ita reddit. *lass dich nicht gelüsten.*

XLVI. Prohibetur itaque hoc mandato, ut idem scribit, ipse fomes nondum in actum prorumpens, quem D. Jacobus cap. i. v. 34. *Ἐπιθυμίας οὐκ ἀβῆσαν* nominat.

XLVII. Horum posterius, cum in quarta conjugatione usurpetur, non obscurum est colligere, ejus significationem esse à priori diversam. Damnatur enim hic ipsa radix seu primæ titillatio, quæ gignit confusionem appetitionum & omnem *ἀταξίαν.*

XLVIII. Unde constat, quòd binâ emphaticâ repetitione innuitur in Exodo, illud in legis repetitione *Deut. 5. 21.* vocum permutatione ac significatione diversâ clariùs exprimi ac declarari. Et nihil magis duobus istis verbis velo *Tachmod*, & velo *Tinhavæh*, significatur in *Deut.* quam emphaticâ repetitione unius verbi velo *Tachmod*, in *Exodo*, modò hoc addatur, quòd Moses in *Deuteronomio* interpret & decalarator habendus sit *Exodi*.

XLIX. Secundò, manifestius adhuc declaratur à Paulo. Quando enim dicit Apostolus, *Concupiscentiam* se non novisse, nisi lex dixisset, Non concupisces, *Rom. 7. 7.* actualem certè concupiscentiam non intelligit, in lege enim erat nutritus à pauero, *Act. 22. v. 3.* Et in qua erat irreprehensibilis, *Phil. 3. v. 6.* Num igitur (ut habet Chem in locis) vel ignoraret vel dubitaret, An sic peccatū, quando voluntas ad conatum progreditur, aut quando quis deliberato consilio cogitat, & proponit aliquid mali? id quod Ethnici esse vitium cognoverunt.

2. Ab explanatione Pauli, *Rom. 7. v. 7.*

L. Utique ergò intelligit illam, quam non Ethnici, imò ne ipsi quidem Pharisæi peccatum esse agnoverunt, Quæ dicitur *Originalis.*

LI. Inter hanc & Actualem apertum ostendi discrimen idem Apostolus *Rom. 6. vers. 12.* *Ne regnet igitur, inquit, peccatum in*
B *mortali-*

mortali vestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates ejus, Et Galat. 5. v. 16.
Ἐπιθυμίας σαρκός, & μὴ τὴν λέσιντε.

LII. Pro duplici ergo natura hujus peccati, Deus bis eoque gravius peccatum hoc premere & maledicere voluit, ne homines servato hoc mandato quoad externum modum, se non amplius concupiscendo peccare existimarent.

LIII. Judæi enim, postquam Deus omnipotens sanxit, ut unicuique licita in conjugem suam esset potestas, eam à se dimittere, dato nempe repudii libello, Deut. 24. v. 1. 2. & c. multas occasiones divortii quæsierunt.

LIV. Nam cum quis alterius conjugis cupidus erat, hoc primum peregit, ut suam à se fraudulenter repudiaret, & proximi deinde conjugem à se diu & occultè amatam variis machinationibus superindueeret.

LV. Has fraudes veluti frequentes in populo Judaico impedire voluit Dominus duplici hac increpatione & prohibitione, non concupisces & c.

2. Ratio ab
obscuritate
hujus peccati
sumitur.

LVI. Unde nobis *secunda* ratio, pro nostra distinctione oritur talis:

Cujuscunq; peccati obscurior est cognitio, id gravius erat notandum à Deo & prohibendum. Sed peccati Originalis abstrusior est cognitio. Ergo. Unde sequitur, Quicquid & gravius notandum, & duplices diversæ naturæ est, illud rectè duplici præcepto damnatur.

Sed concupiscentia & gravius notanda fuit, & est duplicis ac diversæ naturæ. Ergo.

3. Ratio sum-
itur à liber-
tate Chri-
stianâ.

LVII. *Tertiam* suppeditat *libertas Christiana*. In rebus enim mediis ubi nihil, nec præceptum nec prohibitum in sacris, ibi libertas Christiana omninò est servanda. Sed in nostra hac distinctione non saltem non reperitur quicquam, quod in sacris est prohibitum, sed potius quæ cum ea maximè sunt convenientia. Ergo libertas Christiana hic defendenda est.

Circumcisio
erat res adi-
aphora sub-

LVIII. Major probatur testimonio Pauli Galat. 5. v. 1. 2. deinde exemplo simili.

Circumcisio enim sub initium Novi Testamenti erat libera & res adiaphora, ideò Paulus permittebat circumcidi Titum

Galat

Galat. 2. v. 3. At cū à Pseudoapostolis ut absolute necessaria ad salutem urgebatur, in eandem usque adeo non consensit vi Testamenti. Apóstolus ut nec Timotheum circumcidi pateretur: Sed si circumcidatur quis, huic Christum nihil prodesse assereret, Galat. 6. v. 15.

LIX. Unde consequens est, Quod in rebus adiaphoris nemo sacrilegii alicujus argui possit, cum liberum sit homini Christiano, extra casum tamen scandali, facere aut omittere, & propterea, male à quibusdam Calvinianis anathematis fulmine percutimur.

LX. Addimus quarto. Quod ipsa Objectorum distinctio & in certas classes distributio luculenter innuat præcepta isthæc non commiscenda sed prodisinctis esse habenda.

4. Ratio ab objectis petitur.

LXI. Tandem pro nostra hac distinctione militant etiam duæ hypotheses Calvinianorum, quæ plus faciunt pro nostræ distinctionis confirmatione, quam pro adversariorum. Est que prior talis.

5. Ratio sumitur ex duabus hypothesibus

LXII. Quæ sensu & explicatione non differunt, ea non possunt esse duo diversa præcepta (At. Inquiunt illi, nonum & decimum talia sunt, nos verò ita:) Sed mandatum de non colendis imaginibus, sensu & explicatione non differt à primo, de non habendis diis alienis. Ergo non sunt diversa præcepta, Minorem probavimus Thesi 27. & sequentibus, Major est ipsorum.

Calvinianorum.

1. Hypothesis à diversitate sensus & explicationis.

LXIII. Deinde quando Ursinus dicit, aliud esse verum cultum, & aliud verum modum cultus. Et propterea primum præceptum cum appendice duo distincta constituere præcepta. Nos eadem hypothesi distinctionem duorum postremorum præceptorum sic probamus.

2. A diversitate veri cultus & veri modi colendi.

LXIV. Qualis est differentia inter verum cultum & verum modum colendi Deum, talis est etiam noni & decimi præcepti, seu inter Concupiscentiam ipsam & modum concupiscendi.

Sed ille est, sic statuente Ursino, ut duo diversa constituat præcepta.

Ergo.

Conclusio
tertij mem-
bri.

LXV. Concludimus proinde tertium hoc membrum tali Syllogismo : *Quicquid* nititur autoritate sacrarum literarum, patrum antiquissimorum, & militat etiam pro libertate Ecclesie tuenda, illud non est damandum. *Talis* est distinctio Decalogi in Ecclesiis nostris. Ergo. Minor in superioribus sufficienter est probata.

De argumen-
tis Calvini-
anorum.

LXVI. Hæc de confirmatione nostræ distinctionis in præsentiarum dicta sufficiant : Restat nunc postremo loco ut Calvinianorum *avtiseon* inspiciamus quibusque rationibus fucum facere solent, consideremus.

LXVII. Duum verò generum sunt ea, quæ potissimum adversus nostram distinctionem urgere solent. *Alterum* est de mutilatione Decalogi. *Alterum* de Assignatione numeri præceptorum.

1. Objectio est
de mutilatio-
ne Decalogi.

LXVIII. Prius quod attinet, Contendunt *integrum Decalogum esse recitandum, sicuti ipsum Dominus in Sinai promulgavit, & tabulis lapideis digito suo notavit, idque tam & necessario servandum ut Sacrilegij arguendus sit, qui vel minimum in eo immutaverit, sicuti blasphemæ fati scribunt Anhalt. & Marpurgenses.*

Responsio
triplex ad-
hibetur.

LXIX. Resp. Est in argumento fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Major enim vera est de iis, quæ simpliciter ad Decalogi essentiam pertinent, & dicuntur *Moralia Legis*. Distinguendum proinde ipsis est inter *Moralia & Ceremonialia Legis*.

LXX. *Quædam* enim sunt in Decalogo, ad quæ Christiani non obligantur, ut observatio Sabbati, quam si quis jam ita strictè observare velit, prout Deus in promulgatione jussit, is judaizare rectè dicitur. Et contra Paulum contendit *Coloss. 2. 16.* Item *Matth. 15. 7. 2.*

LXXI. *Quædam* verò sunt, quæ sensu ac significatione idem sunt, & propterea ut præcisè & verbotenus recitentur, absolute non necessarium, quod manifestè patet ex sacris. Neque enim ipse Christus omnia vel eadem semper observavit verba Decalogi prout in Exodo extant, ut patet *Matth. 15. 7. 2. Matth. 22. 7. 37. 38.* neque Paulus, ut *Rom. 7. & 13.* neque denique sancti Patres, imò ne ipsi adversarii quidem.

LXXII. Præ-

LXXII. Præterea respondemus per inficiationem. Falsum enim est vel nos vel B. Lutherum, quicquam in Decalogo mutilasse, cum contractam hanc epitomen verborum Decalogi, prout nunc extat, ab aliis Patribus in suum Catechismum transulerit.

LXXIII. Deinde contra assignationem numeri præceptorum hoc obijcere solent.

2. Objectio
contra assignationem
numeri præceptorum.

Distinctio versuum & sententiarum parit distinctionem præceptorum.

Sed mandatum de non habendis diis alienis & de non faciendis imaginibus, distinguuntur versibus & sententiis.

Ergo.

LXXIV. Responsio, Falsa est major, Laborat enim fallacia non causæ ut causæ. Nam si distinctio versuum constituerat numerum præceptorum, tum non tantum decem, sed decem & septem forent præcepta, cum tot periodi & versus numerentur. Exod. 20. Et Deut. 5. 21.

LXXV. Sed contra hanc responsionem ita excipere solent.

Instantia.

Si illa non sunt diversis præceptis distinguenda, quæ inter se versibus & periodis differunt, multo minus profecto ea, quæ versu eodem, eademque periodo comprehenduntur.

Atqui nonum & decimum præceptum nec per versus nec versibus, sive periodis aut sententiis distinguuntur.

Ergo multo minus constituere possunt duo distincta præcepta.

LXXVI. Respond. I. Negamus consequentiam majoris. Neque enim sequitur: Quædam præcepta (id est octo) efferuntur distinctis versibus & periodis, Ergo necesse est idem fieri in nono & decimo? fallit namque fallacia non causæ ut causæ. Nam sicut ratio distinguendi Decalogum non est petenda à distinctione seu diversitate versuum & periodorum, ita præcepta diversa ob unitatem vocabulorum non sunt confun-

denda. Nam non ex periodis & vocabulis, sed ab ipso sensu seu explicatio-
ne, ut loquitur Chemn. petenda est vera distinctio Decalogi.

LXXVII. 2. Negamus etiam minorem, cum & ea aperte sit
falsa. Siquidem & phrasibus & periodis & significatione diffe-
runt verba lo Tachmod & lo Tithavæh, Deut. 5. v. 21. sicuti pro-
bavimus Theff. 43. & sequentibus.

LXXVIII Tandem objiciunt & hoc:

3. Objectio est
de ignorantia
ordinis Deca-
logi.

*Quibus non constat, quodnam precedere aut sequi debet,
ij non possunt ejus rei distinctionem rectè propugnare.
Sed divisores verborum noni & decimi præcepti hoc ne-
sciunt.*

Ergo.

Responsio.

LXXIX. Resp. μή αἴτιον ὡς αἴτιον Præcedere enim & sequi non
constituit numerum seu distinctionem noni & decimi præcepti,
sed constitutum sequitur, cum aliàs sequatur, Mandatum de ho-
norandis parentibus esse octavo loco ponendum, quia Matt. 19,
v. 18. sequatur post hoc; Non loqueris contra proximum, Item
sextum, quinto esse proponendum, quia præcedit Rom. 13. 9.

LXXX. Reliqua, quæ ab adversariis adferuntur, tum ex his
responsionibus, tum etiam ex nostræ sententiæ confirmatione
suâ spontè corruere videntur meræ enim sunt caluminæ ideò
allatæ, ne quid cum B. Luthero commune habeant,

DEUM æternum & Patrem miserationum supplice ani-
mo oramus, ut pacem Ecclesiæ suæ largiri, & adversariorum ho-
stiles in eam conatûs comprimere dignetur, propter Filium su-
um unigentium, Servatorem nostrum Jesum Chri-
stum, cui laus honor & gloria in sempiterna
secula. AMEN.



7

Ne sequens hac pagella prorsus vacua relin-
quatur, has subjungere placet

Quæstiones:

An Decalogus imperfectionis alicujus arguendus sit, eò quod Christus aliud præceptum addidisse videtur, quòd nec in prima promulgatione, nec in ejusdem repetitione (Deut. 5. v. 21.) reperitur Marc. 10. v. 19. inquitens: *μὴ δὲ ποσέχησθε ne fraudem facito.* Et Paulus Rom. 13. v. 9. postquam præcepta secunde tabulæ recensuit, hæc verba subjicit *Et si quod aliud est mandatum? Neg.*

An Gentes naturali lumine ea, quæ sunt legis Dei, cognoscant? affir. Scriptura enim, dum de lege naturæ loquitur, in duas quasi tabulas eam dividit. Prior pulcherrimè Rom. 1. describitur, & quasi in certa præcepta digeritur. *Esse Deum, illum esse agnoscendum, illi esse obediendum.* Secunda negativè à Philosophis ponitur: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quam Christus affirmativè recitat Matth. 7. v. 12. *Quicquid vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Chemn. par. 2. loc. com. p. 104. edit. Wit.

An lex Dei sive Decalogus quo ad internam obedientiam hominibus in hac vita præstita & servata sit possibilis, ut volunt Jesu vitæ? Neg.

F I N I S.



Handwritten text at the top of the page, likely a title or header, which is mostly illegible due to fading.

Main body of handwritten text, consisting of several lines of script. The text is extremely faded and difficult to decipher, but appears to be a formal document or letter.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or a closing phrase.

hier einstempeln!

Th. ex. prolem

359 h

